

I. N. 7.

Dissertationem Astronomicam

De

Lunæ Maculis

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Doctissimi

M. JOHANNIS WOLFFGANGI RENTSCHL.

Publicæ contemplationi sistit

JOHANNES Kirchhoff / Ostervigâ-

Saxo.

Ad Diem 27. Julii

In auditorio Minori

horis Mat.

WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS HAKEN.

Anno 1661.

38.

VII^a

Astron.

564,14

Johannes Maschius

38.

M. JOHANNIS VON FETTERICI RENTSCHL

JOHANNES MASCHIVS

Public content
The text in this section is extremely faint and largely illegible, appearing to be a list or index of entries.



I. N. J.
PRÆLOQVIUM.



Una est quam impræsenti
sistimus. Corpus ejuscemo-
di, quod nec præstantia aut
effectuum nobilitate cuiquã
cedit. Non opus est, ut
per ejus laudes eamus proli-
xius. Cæcus sit qui non admiretur! Luci-
da utpote facies, varietas effectuum, perfe-
ctio figuræ rotundæ, ecquem non rapiunt in
admirationem? Equidem disci instar eam
apparere, visus docet, globosam esse, ratio.
Scimus ex noviluniis, proprium lumen ean-
dem aut nullum, aut exiguum habere. Col-
ligere hinc facillimè, plenissima Divinitatis
animalia potuere, plenæ Lunæ lumen aliun-
de proficisci. Contemplabantur hinc di-
versas Phases, & in dies mutabiles. Dicti-

tarat aliunde experientia, globosa Corpora aspici, illuminari item, ad dimidium. Advertebatur insuper diversa à Sole distantia, exq̄; hac incrementa & decrementa dependere cōcludebatur. Ecquid igitur aliud, quàm Lunā globosam esse sequebatur?

Erat sane hæc collectio de qua gratulari sibi inter rudiora secula poterat inculta simplicitas. Subsecuta tempora, curiosa magis, majora edocuere. Observabantur enim in ipsius Lunæ corpore, maculæ quædam, insignia reflectendi luminis obstacula. Sed unde provenirent eædem, accuratiorum observationum defectu hariolari nemo potis erat. Hinc tot opinionum monstra! tantiq̄; conjecturarum abortus! Accessit his ultimis temporibus sedula manus, qua adjuti oculi, antiquiora illa non tantum distinctius contemplantur, sed etiam noviter stupenda maxime detegebant; exq̄; variis apparentiis, veras causas ingeniosissime venabantur. Nos impræsentiarum de Maculis illis, paucissimis, solide tamen, & qua fieri poterit perspicue disse-

differemus; quod gloriosissimum Numen
jubeat cedere FELICITER!

1. **D**E maculis Lunæ acturis, in primo statim limine removenda est divisio illarum in novas & antiquas, utpote, quæ præter inventionem serotinam nullo fundamento nititur, & supervacanea prorsus est. Non nova statim sunt quæ antiquitus non observabantur; cessent ergo illæ sermonum improprietates, ne offendiculo sint cuiquam; Nos jungemus ambas, & quæ dicentur, de ambabus intellecta volumus. Secus ac plerique ex recentioribus, qui diversimodè de utrisque loqui amant. Antiquas, inquit, *Andreas Schottus in Comment. ad Iter Ecstatic. Kircheri p. 64.* dicimus, majores illas, quas absq; Tubospicillo videmus, quasq; etiam novit antiquitas, & veluti maria grandia, mariumq; sinus, referunt. Novas vocamus non sine telescopio visibiles, quæ quidem variæ sunt, & magnitudine, figura, situ, coloris, nigroris, aut claritatis, vicissitudine lucis & umbræ, aliisque accidentibus inter se differentes, sed fulgoribus & quasi majoribus lucibus interspersæ, sive in plenam sive in dichotomam aut falcatam lunam oculum armatum dirigas.

2. Ut jam ipsam rem aggrediamur, & macularum lunarium naturam explicemus accuratius, observamus initio, eas non esse mera phantasmata, ex visus fallaciis orta, sed esse omnino aliquid positivi; Cum enim constanti Symmetria ac figurâ gaudeant, necesse est illas ex oculorum lusu non dependere. Adde, quod diversis in locis, iisque longissimè disitis, observatæ uniformiter sint, quod sanè, si ex visus fallaciâ ortæ alicui essent, fieri non facile potuisset. Et quis adhæc tam vecors est qui sensibus fidem denegare velit? Cernimus quotidie & nudo oculo & perspicillis varias in lunâ facies; quid igitur reluctamur? Exulet hîc *Cartesius*, cum sensuum deceptione, oculati sumus testes, nullâ aliâ opus est probatione!

3. Quod si quis forsan suspicetur esse corpora interjacentia, inter lunæ corpus & nostrum oculum, ille perpendat tantum, quod à lunâ diversam parallaxin non habeant; Hæc enim in-

fallibilis testis est, esse ejusdem distantiae à terrâ cum lunâ ipsâ. Accedit quod unam eandemque rationem positus retineant, quod sanè si extra lunare corpus essent, accidere non posset. Sed neq; diversum à lunâ motum habent. Nec extra Corpus lunæ unquam vagantur. Non occultantur ullibi. Quæ omnia annon argumenta satis valida, sint, perpendat æquus æstimator.

4. Neque vero quicquam morabimur *Stoicos cum Empedocle*, clamantes, esse vapores quibus pascuntur sidera. Aut *Anaxagoram*, qui cum igneam statuisset lunam, explicare se alio modo non potuit, nisi admixtionem partium caliginosarum, terrestrium ac frigidarum assereret. Cadunt hæ sententiæ suâ sponte. Vegetabilia astra non sunt: quid igitur opus est alimento? Astra simplicia corpora sunt, non sunt elementaria, multò minus mista.

5. Observatis his incommodis, itum est ad alias opiniones; Speculare ergo corpus lunam esse putarunt, & res oppositas reflectere, non tantùm ex veteribus, *Clearchus, Passidonius apud Macrobius, & Argesinax*, sed m. ex recentioribus plurimi. Et poterat sanè apparenter probabilis forsan pro hac sententiâ ratio adduci; sed & illa falsitate suâ non caret; Notum enim est ex *Catoptricis*. *Illud objectum in speculo videri, cujus angulus incidentiæ æqualis est angulo reflexionis.* (Secus ac *Hevelius* vult, qui *Selenogr. c. 1. p. 110.* ait: *radios obliquè in speculum incidentes, tantùm in partem planè obversam pertingere posse. Quapropter omnia illorum simulachra, quæ sunt in terrâ, non ad nos sed ad cælum debere reflecti.* Pulchrum sanè speculum, cujus dorsum reflectit, quæ facies imbibit.) Deberent g. maculæ nobis semper mutari, quia angulus incidentiæ non tantùm, sed & angulus reflexionis semper mutatur. Deberent Antipodes nostri alias habere maculas, atque nos. Deberet imago Solis nonnunquam in lunâ reflexa apparere, tum sc. quando angulus incidentiæ æqualis est angulo reflexionis. Deberent nunquam nisi circa novilunium tenebræ apparere, quin radii Solis in speculo reperi, eadem ferè virtute, qua ipse Sol, terram illuminare.

6. Plurimi hodiernorum, qui optico Tubo utuntur, etiam

am

am hanc sententiam alio invento emendare conantur, provocantq; ad suas observationes, quæ monstrent, lunam prorsus esse nostro globo terraqueo similem; Ita sanè ex recentissimis Kircherus exclamat, in *Itiner. Ecstat.* Dial. 1. c. 91. *Hic valles profundissima! hic montium concatenati ordines! hic immensus Oceani marium lacuumq; protractus! Hic Insula Oceano inserta, & montibus altissimis circumdata! hic flumina ex montibus erumpentia, per varios gyros sese in maria exonerabant &c.* Et paulo post. *Campus non erat herbis consitus, sed invisâ lapidum formâ stratus, qui omnes nescio quid oleum sudabant &c.* Cui præter antiquos ex recentioribus adstipulatur *Hevelius, Weigelius, Schottus, Scheinerus*, aliiq; plurimi, qui omnes arbitrantur, maculas esse umbras montium lunarium in valles sparsas. Notantèr tamen de novis maculis tantum loqvuntur, non simul de antiquis, quas in æquali planitie & apparere, concedunt. Argumenta eorum videbimus postea.

7. Ex horum sententiâ nata videtur alia, quæ eandem non levibus nugis adauxit. Esse nempe in lunâ certos incolas, animalia, arbores, plantas, aliaque terræ nostræ cognata. De *Luciano* jam non dicam, qui mendacia se prolaturum ipse promisit; Tantum reliquos admirari liceat, quos inter videtur esse *Cicero l. 4. Acad. qq. & Plutarchus opusc. de facie lunæ*, qui tamen tanquam de aliorum sententia differens, excusari forsàn posset. Ita, inquit: Lunam, ajunt, eorum qui degunt infra, tanquam Tantalorum imminere capitibus, rursumque eos, qui ipsam incolunt, Ixionum instar alligatos, tanto impetu volvi ac revolvi, ut mirum non sit, si impetu agitationis Leo in Peloponnesum deciderit. Idem planè sentiunt *Pythagorei, & Nicolaus Cusanus Cardinalis l. 2. c. 1. de doctâ ignorantia. Keplerus it. Reida* aliiqve plurimi. Nec desunt tum ex antiquis ethnicis tum ex hodiernis Pontificiis, qui purgatorium & Elysios campos in lunâ esse, adq; eandem deferri demortuorum animas, ut pœnas dent, ac in partibus lunæ obversis cœlo, quiete fruantur, nugantur.

8. Ut probabilem reddant suam sententiam argumenta adducunt, quibus probari posse credunt, homines reverâ in lunâ aliisque stellis reperiri. Citabimus paucissimis primaria ex
Andrea

Andrea Schotto Jesuita Herbipolitano, qui eadem recenset
Schol. ad Iter Ecstat Kircheri. Hæc sunt, 1. non videri credibile,
tot & tam immensa ac spaciofa corpora esse hominibus vacua,
quibus orbis noster luteus est plenissimus. 2. Non ideò videri
condita tantum, ut terram illuminent in nostrum commodum,
cùm nullus paterfamilias facem accendat in usum domestico-
rum, ipsâ domo majorem. 3. Dei beneficentiam non esse ad pau-
culos homines terram nostram inhabitantes, restringendam. 4.
repugnare Ætheris vastitati, & Dei omnipotentiae ac providen-
tiæ, si asseratur; Solam terram cum suis incolis in tanto spacio
quasi in vastissimâ sylvâ nidulum, aut in latissimo agro spicam
unam frumenti latitare. 5. Multa olim incredibilia fuisse vi-
sa, quæ nunc evidentè sunt cognita, ideoque desperandum nõ
esse, ut aliquando idem contingat circa astrorum incolas.

9. Nos arbitramur, 1. non esse videndum, quid fieri potu-
erit à Deo, sed quid factum sit, cum principium actionum divi-
narum non sit Dei potentia, sed voluntas. 2. Constare ex Sacris
litteris quàm optimè de Dei voluntate, quod sc. 1. astra creata
voluerit, non ad inhabitandum, sed ad lucendum, & tempora
distinguenda. 2. Adamum ad imaginem suam creatum in ter-
ram hanc locarit, ut eandem colat, non astra. Argumenta
allata ut operosè ventilemus opus non est, cum tam exilia sint
ut à quovis absque labore enodari possint.

10. Nunc ut nostram hætenus suspensam non nihil de lu-
næ maculis, sententiam exponamus, dicimus: *Esse illas nihil a-
liud quàm rariores lune partes, quæ solare lumen adeò fortiter sicuti
cætera densiores asumere, & ad terras reflectere non possunt.* Quæ
sententia etiam est plerorumq; nostratium Philosophorum, sa-
tisque, uti spero, probata erit, si omnes reliquas opiniones
tanquam impossibiles, & absurdas removerimus. De reliquis
a. quæ supra tetigimus, dubium nullum est, unica restat prin-
ceps hoc tēpore & quæ plurimorū occupavit animos; attigim⁹
eam supra §. 6. Præmonemus autem h. l. brevissimè non quærī
an forsan montes aut valles in Luna dentur absolutè? Id enim
cum nemo apodicticè possit asserere, in medio relinquim⁹. Quæ-
ritur

ritur unicè impræsenti, an illæ maculæ quæ nobis apparent, ex vallium & montium intervallis proveniant.

11. Argumentum invictissimum est contra illam sententiam, quod à naturâ umbrarum desumitur. Cessant sc. umbræ in præsentia luminis & dissipantur. Ita videmus à terræ montibus meridiano tēpore umbras quoddamodò decedere, utut Sol non directè & verticalitè eosdē possit illuminare; Jam videat quivis contradicentium; Utrum possit Sol plenilunii tempore omnes valles lunares illuminare, num secus? Si illuminare potest omnes valles, uti certissimum est, & nemo negat; ubi umbræ manent? Fugiant necesse est omnia, quæ umbrarum naturam sustinent! Diametraliter enim, Sol tunc est oppositus, ut radios in angustissimos speculunæ, si qui esēt, dubio procul posset immittere: Sed hoc tantum abest ut fiat, ut potius contra seipsum Hevelius p. 143. annotarit, non tantum in medio plenilunii se observasse eminentias quasdam, sed etiam in Schematismis, plenilunii maculas plurimas expresserit.

12. Et quid fiet de maculis, tempore lunæ crescentis, vel decrecentis? Si umbræ sunt; debent Sole remoto longiùs, & obliquius illuminante, esse maximæ quantitatis, accedente dein Sole, sensim decrescere. Hoc enim requirit natura umbrarum, ut quo obliquius irruit lumen, eò majores se extendant, & quò altius elevatur lumen, eò citius, donec tandem omninò dissipentur, decrescant.

13. Porrò necessariò macula quæ ante ☉ fuit insignis magnitudinis, post ☉ deberet esse in conspicua seu illuminata. Nā umbræ hæc est indoles, ut mutato luminis situ, ipsa quoq; mutetur. Jā si ante ☉ umbra nobis fuit conspicua, debet post eandē cadere in alterum montis latus, & per consequens, nobis, ob interpositum montis cacumen, quod à lunâ illustratur, occultari, donec demum lunæ facies nobis appareat obliquior, vel in ipsum meridianum perveniat, quo positu conspici forsan rursus posset.

14. Accedit & illud, quod umbra in medio sui densissima, in extremitatibus contra remissior sit, ita sanè videmus in

B

Ecli-

Eclipsus lunaribus, umbram terræ in Coni figuram terminari, & in medio esse obscurissimam. Videant igitur Umbrarum Patroni, an idem hîc observare possint? Nobis qui accuratiore Tubo destituti, convenit, ut illorum observationibus eò usque fidem adhibeamus; Sed neque hîc, aliquid apparet; Ut ut omnes eorum Iconismi inspiciantur. Cur igitur tam pertinaciter tamque præfractè urgent? Cur pro Apodixibus sua venditant placita? quæ nec veri quidem speciem sustinere possunt.

15. Deinceps perpendat mihi aliquis motum lunæ proprium, quo solem semper antevertit & spatio 27. dierum eundem, quem ante tenebat, revisat locum, sole post se relicto. Annon ergo necesse est, ut mons, qui umbram ante plenilunium spargebat versus hanc plagam, eandem post plenilunium spargat in alteram? Ita enim fieri quotidie deprehendimus, ut variante situ luminosi corporis, umbra simul varietur. Hæc ratione in duplum augebitur macularum numerus, & qui antea tantum erant 600. jam 1200. erunt, vallis enim umbrosâ in plagâ orientali lunæ, non sanè eadem est cum occidentali, sed constituit dubio procul maculas à se invicem diversissimas.

16. Quæ de observatis eminentiis narrant, equè videntur dubia. Quis enim facile persuaderi sibi patiatur: Montes illos (ut ut ponantur adesse) habere aliquam sensibilem ad rotunditatem globi lunaris discrepantiam? Ascendat aliquis altissimū in terrâ montem, & deprehendet: Lunam non majorem neque minorem apparere; Et facillimo negotio deinceps colliget, nullo modo montes lunares sensibiles esse.

17. Non possumus hîc quin & illa paucis adjiciamus quæ ex *Grimaldo & Ricciolo adducit Schottus p. 65. Schol. in Iter. Ecstat.* eaque valdè notanda dicit. *Primum est, quod minima quedam macula, confestim in oblongo quodam tractu, ita sibi proxime succedant, ut s. imperfectiori telescopio s. longè à termino universalis illuminationis spectata, videantur veluti radiorum quorundam sulci, at si in consinio illuminationis spectentur perfectioribus*

tubis, videntur macule illæ distinctæ, non secus ac in viâ lacteâ stellarum congeries. Secundum est, quod maculis quibusdam aliæ minores sic adherent, vel innexæ sunt ut gemmæ annulis sunt insertæ, ut portio unius, portionem alterius sibi ferè æqualis obtegat, vel sic circum obfesse, quasi coronatis monticulis, ut juxta vicissitudinem illuminationum, aliquando veluti rosam, aliquando lacum præseferat. Tertium est, quod aliquæ in majoribus item, sic includantur, ut umbram suam in partem oppositam umbræ includentium projiciant.

18. Nos ex his quæ illi tantoperè admirantur, stabilimenta sumimus nostratis sententiæ. Sic enim explicari commodissimè hæc singula possunt. Imprimis tamè ut cætera tanquã minus evidenter probantia, omittam, tantum ultimum illud quæso probè attendatur! Si umbræ sunt, cadant in partem, Soli non expositam, necesse est. At, inquit ille, cadunt in partem oppositam umbræ eas, includentium. Quanta bone DEUS! & quanti Viri oscitantia hæc est? Anne ergo umbra cadit in partem Soli expositam? Sed *ecstatico viatori* hæc forsitan imprudenter exciderunt! Apodixin hinc habemus omni exceptione clariorem, illas maculas non esse umbras. Quicquid enim in loco Soli directè & immediatè opposito invenitur, id sanè umbra esse non potest. Sol enim umbras omnes fugat & dissipat. Ast illæ maculæ inveniuntur in loco soli directè opposito. Nam primi & majores montes (loquor ex hypothesi) umbram spargebant in partem alteram, v. g. in orientalem plagam, Sole existente in Occidente: Minores spargunt in partem oppositam umbræ, includentium. E. debent cadere in occidentem rectã versus Solem. E. maculæ illæ umbræ non sunt.

19. Hæc quam placidissimè contra umbrarum assertores allegare placuit, quæ ut æquâ lance ponderentur, optamus, additâ hæc cautelâ: Non statim sequi, (si vel maximè una vel altera ex notatis conditionibus, observatione deprehenderetur] Ergo maculæ sunt umbræ. Si enim unica tantummodo deficiat; ego audactè pronunciarem, umbras nullo modo adesse,

sed esse vel librationis motum, vel aliud quid, istius apparen-
 tiæ causam; Debent enim ad aliquid asserendum omnia requi-
 sita adesse, secus si fiat, causâ cadunt defensores. Monemus au-
 tem quemvis cordatiorem, ut probè attendat, quam iniquè
 nobiscum, densitatem & raritatem lunaris corporis asserentibus
 agatur. Oppositori nobis, asserunt: Lunam constare montibus &
 vallibus; & hanc esse novarum macularum originem. De anti-
 quis asserere hoc ob rei evidentiam non possunt; Ne igitur
 nobiscum illam densitatem asserant, tacent potius quàm ut ali-
 quid determinare ausint; Vident enim aliâ excusatione quàm
 nostrâ hanc rem expediri non posse. Anne ergo destructa est
 nostra sententia, quæ densum & rarum asseruit? Non
 putem. Monstrandum fuisset: Lunæ corpus non esse uti asserere-
 bamus, comparatum: Monstratur tantùm, quandam partem
 ita comparatam non esse, quem sc. maculæ novæ occupant. E-
 gregij scilicet contradictionum observatores!

20. Numerus macularum lunarium præter majores illas,
 quas antiquas vocant communiter, observatus diversimodè à
 diversis est. *Langrenius* 270. numerat, *Hevelius* 550. *Franciscus*
Maria Grimaldus (quem *Ricciolus* l. 4. c. 17. omnes diligentiam ac-
 curatione & distributione superare ait) 600. Sed neque hinc
 omnes tum propter nimiam copiam, tum propter earum exili-
 tatem annotavit. Figura majorum varia est & anfractuosa, re-
 ferens maria, sinus, continentes, & insulas. Minorum rotun-
 da & elliptica.

21. Restat ut paucis subjungantur contrariæ partis argu-
 menta & resolvantur; Collegit eadem *Gaspar Schottus* com-
 ment. ad iter. Ecstat. p. 67. suntque sequentes. 1. Luna non tantum
 dichotoma s. bisecta, sed etiam ante & post dichotomiam, si tubo spicit-
 to spectetur, lineam dividendam splendidi ipsius à tenebroso, habet
 tortuosam & laciniatam, & confinium illud manifestè anfractuosum
 est, nedum dentatum aut serratum. Signum ergo est, esse in eâ
 partes humiles aliquas, & elatiores. Neque enim dici potest, obscuras
 quæ anfractibus illis intersunt ob suam densitatem aut opacitatem,
 imper-

impervias esse lumini, cum postea à crescente luna illuminatione clarescant, & è contrario illa, quæ antea lucebant, decrecente luna nigrescant. Diaphana a. nimis nigrescant tunc & plenâ lunâ clarescant. Resp. 1. Neg. Consequentiam. Non statim sequitur, anfractuosum est, E. elatum & humile est. Idem enim, potest de raritate & densitate asseri. Si enim densum acceptum reflectere dicas, rarum contra illud præstare non posse; Sequitur eodem modo serratum esse confinium. 2. excipit; Non posse hoc dici, cum lumine crescente, inclarescant postea, & quæ antea partes erant lucida contra nigrescant; Resp. 1. Effet hoc etiam contra umbræ assertores. Quid enim absurdius est, quam si asseratur ex montibus jam fieri valles & ex vallibus contra montes? putant enim illi, maculas esse valles à Sole non illuminatas. 2. quid si libratio disci lunaris asseratur? annon licebit dicere: Fuisse diversum positum tum respectu Solis & illuminationis partium rariorum, tum respectu nostri, in causâ, cum enim luna proprio motu semper alium acquirat locum, & insuper libratio disci aliquando partem hæmisphærii aliàs latentis, ostendat, diversa item illuminatio Solis, & noster positus, (qui sanè nunc resp. lunæ alius atq; alius fit) annon etiam per te quoq; maculæ varietatis causas prægnantes habent?

22. Pergit autem ulterius. *Quarta*, ait, post conjunctionem die & seqq. in orientali parte adhuc nigrâ, lunæ apparent cuspidés quædam lucida, vel areolæ, tanquam scopuli aut parvæ insulæ, à continenti Lunæ regione jam illuminatâ, separatæ; interjacentibus partibus nigris, & lumine Solis directo nondum illuminantis. Contra verò in decrecente lunâ, sunt partes quæ serius à Solis lumine destituuntur, quam aliqua inter has & partem lunæ illuminatâ interjectâ. Signum igitur est, esse in luna partes quasdam eminentes, quæ ut nostri montes citius aut serius illuminantur, quam partes depressiores, neq; enim diversitas hæc in mæram densitatis aut raritatis differentiam refundi potest, cum hæ ipse partes, quæ antea clare erant, fiant postea obscuræ, & quæ obscuræ, fiant clare. Resp. 1. possemus adhuc de Observationis fide dubium movere, cum præsertim apud nullum quem videre contigit, hæc invenerimus

Non dubitamus interim, quin observationes selectissimæ Auctorum aliorum præferendæ sînt huic unicæ relationi. 2. Quid vetat, quin adhuc assumamus densitatem & raritatem disci lunaris? si enim tunc temporis, cum prima phasis conspicitur, radii solares incidant obliquè, uti verissimum est, quid quæsò absurdi erit, si dicamus, rariora loca, lumen ne minimum quidè partem recipere, contra verò, quo magis Sol accedit ad oppositionè, eò paulatim lucidiores fieri, nō tamen eo gradu quo dēfas videm⁹. Erunt hæc ratione interjectæ raritates prors⁹ non illuminatæ in primâ phasi, cum tamen partes densiores quæ longius à Sole tūc sunt remotæ, lumen reflectere possint. 3. Exedat ipse quod intrivit de variatione claritatis & obscuritatis. Nos ad variationem disci, illuminationis, distantia, & positus nostri, refugimus. Ille contra nunquam explicabit, quomodo partes, quæ ante obscuræ erant, lucidæ, & quæ lucidæ, obscuræ fiant. Anne forsan, cum montes sparserunt umbram in valles, è contrario valles spargunt umbras in montes? Egregiè omnino!

Cætera quæ partim contra observationum fidem, partim contra sanam rationem afferuntur, lubens prætereo, cum præsertim solutio illorum tam facilis ex præcedentibus sit, ut supervacaneum videri possit, tempus nugis istis impensum. Quod enim in plenilunio lunâ non habente latitudinem, nullas apparere maculas asserit tam impudicum judicamus, ut miremur à Rev. Patre Soc. Jes. proficisci potuisse. An enim ille aliquando plenilunium, lunâ non habente latitudinem viderit, valdè ambigimus. Nobis sane tam felicibus esse nunquam licuit; Semper n. nescio quo Fato, eclipsin nobis luna pati videbatur, cum in oppositione constituta, nullam planè haberet latitudinem. Paulò vero ante s. post plenilunium observavit Hevelius, quinis distinctis temporibus, maculas, de quibus observationibus speciatim p. 143. disserit. Hæc in quantum & tempus & otium permisère, de maculis lunæ sufficiant. Finimus tantum solemni illâ formulâ:

SOLI DEO GLORIA.



PARADOXA.

1. Lunares maculæ, non abs re, maria, sinus, continentesque dicuntur.
2. Deferens Lunæ, sicut ipsa Ecliptica, rarissimè est circulus magnus.
3. Idem Circuli sunt Æquatori paralleli.
4. Luna quò magis nobis ostendit Luminis, eò minus habet.
5. Datur in Sphæra mundi locus, ubi neque dies, nec nox est, sed semper crepusculum.
6. Dari potest locus, è quo Eclipses Solares appareant, terrestres.
7. Nullum unquam fuit, nec erit resp. nostri plenilunium.
8. Est etiam locus, è quo nulla videri possit Eclipsis.
9. Datur aliquid, quod eo ipso, quo privatur suis rebus, augetur iisdem.

10. Non

10. Non omnis visio fit per lineam rectam; cum corpus aliquod possit videri, ad quod non nisi curva linea, aut 2. rectæ angulum constituentes, pervenire possunt.
11. Si duo proficiscantur; unus versus ortum, alter versus occasum: in concursu, prior, duos dies amplius numerabit à discessu, quam posterior.
12. Si quis equo totam terram circumvage- tur, ille longius conficiet spacium, quàm equus, cui insedit.



Armen 565/14